



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 4. De Moribus Græcorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

NUM. 4. De Moribus Græcorum.

CULTVS CORPORIS. Diu armati processere semper Græci ob perpetua inter eos bella, ait *Thucydides* libro. I. Deinceps palliis vsi sunt. Pueri comam alebant, quam alicui Deo consecrabant, & maximè fluminum Geniis, inquit *Philostratus*. Hanc quoque postmodum alebant, cum vt venustiores apparerent, tum etiam terribiliores hosti viderentur: *Strabo*.

DOMVS apud eos splendidissimè & commodissimè exædificabantur: *Strabo*.

EXERCITIA. Ludis, palæstris, saltationibus deditissimi erant, quod alebat certamina toto orbe celebratissima. Apud eos imperitus habebatur, qui fidibus nesciret canere: *Plutarchus*.

NVPTIÆ. De his multa *Plutarchus* in Græcanicis quæstionibus, & *Iulius Pollux*. Mulieres apud eos Gynæceo continebantur.

FVNERA. Mores funerum iusto volumine vix exequeremur, his paucis contentus esto. Mortuorum corpora comburebant: pulla vestis funebris erat. Multa preciosa in rogam demortui coniciebant, & sæpe suos crines, aut vulsos, aut tonsos. Graue erat apud eos carere sepulturâ, hæcque pœna tantum fuit Tyrannorum, seditioforum, *ἀποκτόνων*.

VITIÆ. Vix vlla gens maioribus vitiis contaminata est. De eorum stupris, & raptu mulierum plurima apud *Herodotum* leges. *Cyrus* eis exprobrat mutuas in vendendo & emendo fraudes, quas etiam *Polybius* Hyperbolicas amplificat. Mendaces eos *Iuuenalis* facit, & adulandi peritissimos. Apud Latinos scriptores penò omnes fit mentio Græcæ leuitatis. *Παιδεγὰς* & Ebriosos describit eos *Athenæus*: pleraque ex his vitiis sic expressit *Horatius*.

Seditione, dolis, scelere, atque libidine, & irâ
Iliacos intra muros peccatur, & extra,
hoc est in castris Græcorum.

NUM. 5. De Doctrinâ Græcorum.

INGENIOSOS, & eruditos fuisse Græcos nemo eruditus dubitare potest. Hinc à *Manilio* Græcia *facundissima doctis urbibus* dicitur.

Ccc iij